

*Sonchus tenerrimus* L. (Lge. exs. Nr. 286).

In Hispania fere tota frequens, variis formis ludens, quarum plures inter se tam diversæ sunt, ut facile eas distinctas species esse crederes. Etsi autem notæ secundariæ variabiles sint, characteres principales (præcipue achænia) semper constantes inveni, ideoque variæ formæ verosimiliter in unam speciem jungendæ. Sequentes formas præcipuas seorsim notavi:

„  $\alpha$ , *annuus* (S. *tenerrimus* DC.), herbacea, annua. In agris et ad vias.

1. *lævigatus*, glaucescens, pedunculi laxi, subglabri v. glaberrimi, foliorum lacinia angustiores, acutæ, obsolete dentatæ (habitus fere *S. oleracei*).

El Hueto pr. Santander; Sevilla!

2. *glandulosus* Lge. ind. sem. hafn. 1853 p. 19, pedunculi elongati, rigidi, pilis glandulosis dense tecti, foliorum lacinia late ovales, obtusæ, obsolete dentatæ.

Jaen! Medellin Extremaduræ (Schousb.)!

3. *spinulosus*, pedunculi breves, dense glandulosi, foliorum lacinia acutæ v. acuminatæ, valde spinuloso-dentatæ, dentibus mucrone albo cartilagineo terminatis. (Habitus *S. asperi*, sed auriculis foliorum non recurvatis et achænio transverse muricato mox recognoscendus).

Bailen! (Eandem formam variis Italiæ locis lectam vidi in herb. b. Schouwii)!

„  $\beta$ , *perennis* (S. *pectinatus* DC.), trunco persistente, sublignoso.

In muris et rupibus (Hæc forma variat periclinio et pedunculis glaberrimis v. parce glanduloso-pilosis).

Granada, Malaga, Murcia!

*Lactuca perennis* L.

In agro Valentino (Pourr.)!

*L. tenerrima* Pourr.

Montserrat (Pourr.); Encinillas; Escorial!

*L. saligna* L.

Orense (Pourr.)! Encinillas; Murcia, Cabo de Gata!